



Diss. Thk. Vol. I.



Oeltz 61 Q (1-34)

In sancto nomine JESU!  
**ΣΧΟΛΙΟΝ.**  
 Sive  
 POSITIONES,  
**D E A R I S**  
**VEL ALTARIBVS,**  
 SCHOLASTICÆ:

quas divinâ præeunte  
*L V C E   & D V C E,*  
 PRÆSIDE,  
**JOHANNE BOT SACCO, D.**  
 Gymnasii Dantiscani Rectore, & Ecclesiæ  
 ad S. Trinitatem Ministro

*Exercitii ergo defensandas,*  
 in Gymnasio Dantisc: suis proponit  
*συμμαθηταῖς*

**HENRICUS MÖLLENHOFF, LUBECENSIS,**  
 ad diem XXV. Novemb: An: 1632.  
 VII

\*\*\*  
 D A N T I S C I , a  
 Typis GEORGII RHETII, Illust: Reipub: & Gymn: Typographi.



Quadrige  
VIRORUM  
Perquam  
NOBILISSIMORVM, MAGNIFI-  
CORVMq;

DN. EGGERTO à KEMPEN,  
Consuli Gedani Regii vigilantissimo,  
Protoscholarchæ merentissimo.

DN. TIDEMANNO GIESEN,  
DN. WALTHERO ROSENBERGIO,  
DN. DANIELI FALCKEN,  
Regiæ Reip. Gedanæ Senatoribus graviss.  
& Scholarchis itidem merentis-  
simis,

Dn. Dn. Dn. Dn. Mæcenatibus suis

hanc de ARIS, pro aris  
sylogen thesum  
gratæ mentis E.

D. O.

P R A E S E S  
& RESPONDENS.



I. S. N. J!

Προαύλιον.

**S**Cholaisticām disquisitionem, de ALTA-  
RIBVS, domi nostræ natam, atq; exer-  
cito disputatorio nostris destinatam, bene-  
dicente Domino, instituturi sumus, per quandam  
thesum mixturam: (de nomine Altarium, deq;  
variis, ad hanc materiam, spectantibus problema-  
tis) partim, ut veritatem eliciamus, vel illustri-  
orem reddamus; partim, ut nostræ fidei commis-  
sam juventutem, in penitiorum exercitiorum ady-  
ta introducamus; sine quibus illa, de quibus Apo-  
stolus, αὐσθητη ἐγκέρυμασμένα, Hébr:  
5. v. 14. minime contingunt. Igitur quod ex offi-  
cio molimur, quod optimo scopo, quod boni quique  
probabunt, id aggredimur strenuis manibus, in  
Domino, calenti mentis gemitu:

Christe, altare meum; tibi vota calentia fundo,

Duc, quæso nostros, ad tua verba, pedes.

Situus ignis erit, tenebratâ in, pectoris, arâ,

Nunquam me in tenebras devius error ager.

Christe, tuo nutu, ventis dare vela, jubemur:

Te duce, non tristes, prora petet scopulos.

AMEN.

A 2

SVM-



## S V M M A R:

1. Altarium nomen varium. θ. I. §.
2. Origo. 6.
3. Abusūs. 7.
4. Controversia de altari suffitūs; ejusque figurā. 8. 9.
5. Conspurcatio Satanica. 10. 17.
6. Achab, ut peccarit destruendo altaria? 17.
7. Varii eorum abusus, apud Pontific: 18. 23.
8. Locus & Situs in V. & N.T: 24. 25.
9. Ornatus. 26.
10. Damnata à Manichæis. 27.
11. An requirant sacrificia? 28. 30.
12. Non demolienda. 31. 35.
13. Non sunt custodia. 36.
14. Quid ara ignoti DEI? 37. 38.
15. An struenda in honorem sanctorum? 39.
16. Quomodo peccata in cornibus altarium scribantur? 45.
17. Monita practica. 46. 50.



THEISIS I.

**D**em à nomine auspiciamur: utilissimâ scilicet τὸν De nomine  
τεραδιαναία. Altare (1) dicitur, Misbeach (à Altaris, aræ.  
radice Sabach) quod frequens est s.literis nomen.  
Altaris naturam plerumq; exprimit adjectum substanti-  
vum; v. terra, aris: Exod. 20. 24. 2. Reg. 16. 15. Radi-  
cem dictam significare in genere maestationem, sive in  
sacrificiis, sive alias etiam frequentatam, ex inductione lo-  
corum patet quorundam, non diffidente Elia. Vide Mercer:  
in Lex. (2) Græcis, à θύω, dicitur θυσιαστήγον. Hinc rectè  
Phavorinus θυσιαστήγον ως τὴν θυσίαν τηλέσθην. Altare dici-  
tur, quod servet sacrificium: Vocatur quoq; βωμὸς,  
(quoniam illa vox amplioris sit significationis. Vide Vari-  
num l. d. nam & nemus & delubrum notat, ut R. Constan-  
tino placet in Lex:).

2. (3) Latinis altare, quasi alta ara, in quā ignis ado-  
lebatur. Solebant enim Ethnici dijs superis in edificijs à ter-  
râ exaltatis, sacrâ facere. Confer Raphael de la Torre fol. 16. in  
q. 94. Thom. dijs terrestribus in terra; dijs inferis in effos-  
sa terra: Vnde Servius distinguit inter aras, quæ & infe-  
rorum erant: altaria tantum suorum Deorum, ut non  
semel liquet è Virgil. lib: Nempe, vide fœdam τὴν πολυθε-  
ῖντα (multitudinem Deorum) vide mentium τὴν μαθαι-  
ῶντα: (profanitatem)! Vide in eligendo loco superstiti-  
onem! nempe, quia vix ullus error solus est!

3. Alij aram dici tradunt ab arendo, quod frumenta  
ibi secta arescant. Varro lib. 4. de Lat. L. Alij ab ardore  
derivant: alijs à Graca voce ἄρα quæ preces natat. Alijs hæc  
placet originatio, quod ara sit dicta ab altum & ansa, quia  
sacerdos solebat aram tenere sacrificans: Vide Varronem i-  
ta interpretantem lib. 5. rerum divinarum, & Servium  
in Vergil, & Macrob: lib. 3. Satyr. Vide For, Rom. in V. Vocis ambi-

A 3

apud  
Hebræos.

Græcos.

Latinos.

Ara      guit:



Ara: alijs ara, quasi area. Durandus lib. 1. c. 2. Ration.

4. Nonnunquam mensa ponitur pro altari: & contrà. Vnde ieḡav teānečav vocarunt tempore Antonini Magni. Vide Sozomen: lib. 6. cap. 5. idḡ ex eo, quia solebant Christiani sua dona offerre, ex quibus panis evch. sumebatur, quem solebant vocare Apagas, mentione veterum Patrum illustratas. Tertull. Apologet: c. 39. fol. 69. (& Judam: v. 12. Epistol:) quas sine dubio convivis Gentilium, Φιλία dictis, & fadissimis Gnosticorum Agapis (Adi Epiphan: ha- res. 26.) opponebant Christia nineophyti.

5. Aliquando altare ponitur pro cultu in altari vel doctrina: Ita Cypriano, altare adversus altare erigere, est aliena à fide docere. Et Ps. 26. v. 6. Circumdare altare, notat exhibere DEO gratos cultus per metonymiam: cum nō liceret attingere altare nisi competenti. Num: 18. v. 1. 2. 3. non sine insigni figurâ in Christum.

De origine  
ararum.

6. Ceterum altarium originem ritui sacrificiorum co-  
evam asserimus, cum B. Luthero in cap. 4. Genes. ( quan-  
vis nonnulli primum altare Noacho tribuant ut Durand:  
lib: 1.c.2. Rat: Adi Torniell: in Annalib ad annum mundi  
1657.n.6. ) in V. Testamento, in quo valet sacrificij & aræ  
q̄eotis vel correlatio, sive Patriarchas, Adamum Genes. 4.  
sive Noachum Genes. 8. 20. c. 12. 7. c. 26. 25. &c. sive Mo-  
ses Exod. 17. 15. respiciamus: quorum hic altare Domino  
adificavit, gratitudinis monumentum & veritatis apparitio-  
nis demonstranda ergo, sicuti & Exod. 3. v 12. fecit. Lice-  
bat hoc Moysi facere, ut Prophetæ, alijsq; Prophetis: non li-  
cuit alijs facere: nec licebit, etiamsi Papa sit, quoniam Pro-  
pheta & immediatè vocatus non sit. Nullius ergo hominis  
est, novum instituere cultum: nullius bone intentionis opus,  
hoc est, sacrificare: cum Abel & alijs ex fide sacrificaverint:  
Fidei vero lucifer verbum est: vere dixit Luther: in c. 4.  
Genes.

Quando



7. Quando Spiritus S. homicidam à suo altari evel-  
lendum monet Exod. 21. 14. indicat hoc liquido, divinae ju-  
stitiae improbarie eam, quæ nonnunquam per asyla probatur,  
homicidiorum impunitatem. Vide 1. Reg. 1. v. 53. hujus  
præcepti exemplum: Verum quomodo quis haec cum illa In-  
nocentij tertij voce conciliabit, quæ est in decret: Tit: de Im-  
munit: Eccl: CAP: Inter alia. NEMO AB ECCLESIA  
RAPIATUR, quantumvis GRAVIA commiserit?  
Hac Innocentius pro nocentibus, contra innocentibus.

8. Quare solet, altare suffitus ubi fuerit? Nam Ex-  
od. 30. v. 6. dicitur positum fuisse ante velum: quod erat  
ante arcam. Contra Hebr. 9. v. 4. dicitur, sanctum sancto-  
rum aureum habuisse thuribulum.

9. Duplex erat velum, Primum quo exterior pars  
sancti (continens lucernam, mensam & panes propositionis)  
ab interiori, in quâ fuit altare suffitus, distinguebatur. Se-  
cundum erat, sancti sanctorum, inter quæ duo vela, in san-  
cto, fuit altare suffitus, & de hoc loquitur ad Hebreos autor,  
& hoc velum scimus est. Matth. 27. v. 51. De argumen-  
tis secus sententium solvendis facile erit negotium. Vide  
Torniel: ad annum 2544. n. 63.

9. Fuit præterea altare thymiamatis, Exod. 30. v. 1.  
2. Christi typica præfiguratio. Ligna & aurum duas na-  
turæ; Impositio odoramentorum, nostram in Christo fidei sta-  
bilitatem notat, profundenter suas preces. Vide Apoc. 5. v.  
8. Psal. 141. 2. Vide D. Rungium in cap. 30. Exodi. D. Chy-  
traum. Riber. de templo.

10. Ceterum altarium, ritusq; sacrificandi modum, Aræ victimis  
utut diserte suo populo tradidisset Dominus, diu in eodem humanis cō-  
conservatum, donec omne, quicquid Mosaica erat pædago- spurcatæ.  
gias ad Christum, illum omnium sacrificiorum scopum, ipso  
corpore adventante. Hebr. 10. v. 1. abrogaret: Attamen  
jam



jam tūm V. Testamenti seculo, sanctissimē hā D E l prae-  
ptiones, sp̄cia neglecta q̄ jacuerunt, postquam mundi filii  
sp̄ernentes, v̄r̄a agnitionis lucem, tenebras secuti sunt, &  
Diabolo nefanda nāo q̄nā Patriarcharum ritus atq; sa-  
crificia repr̄äsentanti, morem geserunt, ( Peuc. de divinat.)  
Qui varijs modis filios incredulitatis ludificatus, eisdem de-  
victimis pestiferas opiniones instillavit. Vide Andr. Scot-  
tum de Dijs & sacrifici: Job. Seldeni de Dijs Syrorum. Peu-  
cerum de Divinat: mox dict. Luther: in c. 4. Genes: p.  
212. a.

II. Humanas sanè victimasadolendas esse, non potu-  
it non ille docere, qui est homicida ab initio Job. 8. non potuit  
non prohibere, qui est misericors & amator vitæ ab eterno.  
Deut. 12. v. 31. Psal. 106. v. 37. Deut 32. 17.

12. Faceſſant ergo impudentia Manicheorum, Valen-  
tinianorum, Marcionitarum, labia, D E VM V. Testamen-  
ti malum & crudelē blasphemē appellantia. Vide Augu-  
ſtin. q. 49. ſuper lib: Judic.

Genes. 22. 13. Mandatum Abrahamo datum, non erat ſerium  
Pſal. 116. 15. ſed exploratorium: nec probat τ̄ς ἀνθεποδυτιας: ſed nec  
Judic. II. Martyrum mors pretopia in oculis Dei: nec factum Iephithæ  
filiam offerentis, uti quibusdam placet: nam adhuc ſub ju-  
dice lis est, verene filiam immolārit? Hieronymus in cap. 7.  
Jeremiæ diſtinguit inter ſacrificium quod Deo non placuisse,  
& animum ſacrificantis, quem placuisse arbitratur. Vide-  
bimus de hoc in diſcurſu.

Jerem. 7. v. 31. 14. In pernicioſum hunc τ̄ς ἀνθεποδυτιας errorem  
Hieronym: Tom: 5. lib: 2. in cap. 7. Iudaos quoq; lapsos eſſe per Idolum Moloch, ſacra ſcriptura  
Jerem. teſtatur, quando in Tophet altaria edificarunt. De nomi-  
Lyra. nis Tophet derivatione ancipites ſunt Grammaticorum  
Luther: in idem. curæ, nobis non enodandæ. Idoli nomen Moloch fuit ( a-  
2. Reg. 3. 27. libi vocatum Melchom ) non à rad. Laach, ſed Malach de-  
1. Reg. II. 5. ductum



ductum, ita ut regem notet, quicquid etiam alijs placeat. 4. Reg. 23. 13.

15. Gentiles quomodo victimis humanis suas quoq; Jerem. 49. 1.  
contaminarint aras, omni interpretatione notius est. A AMOS. I. 15.  
Phoenicibus hunc sacrificandi morem Athenienses accepisse C. Castrg in Jerem:  
nonnullis placet, quod Q. Curtius alicubi significare vide lib. 4. hisfor.

16. Apud Tertullian: Tragica extat hujus Idololatria c. 8. 9.  
deploratio. Pratermissis alijs nota est Arelatensis a- Apol. adv. Gentes.  
ra ( urbis Burgundorum regni primariae ) ad quam annis R. Ganguinu lib.  
singulis, ipsis Calend: Maij frequens undiq; populus consflu- 9. rerum Gall. fol.  
ens, pro sua salute victimas humanas, trium juvenum pub- 64. b.  
licâ saginatorum pecuniâ toto anno, offerebat, & ef-  
fusum victimarum sanguinem spargebat. En Diaboli astu-  
tiam! id quod de victimis brutorum præscripserait Iehova,<sup>23</sup>  
de humanis victimis suis mancipijs, filijs contumacia expo-  
nentis. Videu' bonam istorum, quam prætendebant, inten-  
tionem? Viden' summam, propria sobolis ejurantium a-  
morem, affectuum mortificationem? Neutram tamen  
Deo charam, acceptam neutram, quia sine ductu verbi su- Ephes. 2.  
sceptam, sine præcepto. Throphimus verò unus 70. discipu- Jerem. 7.  
lorum CHRISTI hunc ritum sustulisse dicitur. R. Gang: Matth. 15.  
d. l.

17. Ceterum horribilis hujus ritus exempla legunt a-  
pud Plutarch: Zuing: in Theatr. Tertull: in Scorpia: Ra-  
vis: in officin: οἱ πολυτέρες. Nos ad alia.

Cur peccatit

Quid illa sibi Eliae volunt verba? Altaria tua suffo-Achab destru  
derunt. 3. Reg. 19. cur carpit quod laude dignum videtur? endo altaria  
Vnum enim altare sanctificaverat D E V S Hierosolymis. 3. Reg. 19.  
Et gò destruens alia altaria, benè facere videtur? Respond: Rom: II. v. 3.  
( 1 ) Loquitur de altariis in excelsis exstructis, quarum Respond.  
sepè fit mentio. ( 2 ) In his, populus Israel veri D E I stu-  
diosus, compulsus Tyrannide Regum, prohibitus q; ade Jero-

B

solymi-



solymitana, DEO litabat. (3) Has autem aras odio cul-  
tus, veri DEI Achab & Jesabel destrui juserant, non prae-  
cepit de unâ arâ. Deut. 16. v. 13. divini observantiâ ducti,  
sed idololatrias furore accensi. (4) Divinam hîc dispensa-  
tionem notamus, quâ factum, ut in casu necessitatis à verè  
pys exhibitum etiam in excelsis cultum, gratum habuerit

I. Reg. 3. v. 2. Deus: nam ante exstructu templu populus in excelsis offere-  
bat DEO: quin etiam duplia fuisse excelsa, nonnulli non  
P. Martyr. in b. l. male colligunt ex I. Reg. 15. v. 14. idq; suadet ratio loci 2.  
Chron. 15. 17. & I. Reg. 22. v. 44. Ex his patet, justam pi-  
amq; Eliae querelam fuisse de Achabo destruente altaria,  
de industria pessimâ.

Quomodo 18. Videnda quoq; nobis est altarium profanatio Pon-  
aras cōtami-tisficia, quâ fit Missâ. Audiamus Durandum: lib: 4. Ration: nêt Pōficii? c. 1. n. 49. Misâ est nomen proprium, quod significat,  
Christum misum esse à Patre in hunc mundum. Signi-  
ficat etiam Angelum, qui mittitur, ut per ejus manus ho-  
stia offeratur, in sublimo altare Domini: ) Hac Durand.

Nos accusamus meritò in Etymologiâ ignorantiam:  
(1.) missifi- (nec enim Musa dicitur à missione C. H R I S T I vel angelis,  
cando. sed potius à dimissione Catechumenorum. Vide Isidor: lib:  
6. Etym: & Durand. ipsum. d. l. n. 48. Cyprian: ad Anto-  
nin: ) Vide in doctrina τὴν ἀντιγραφὴν: Semel enim obla-  
tus est Christus in arâ crucis: non offerendus amplius: Hebr:  
9. At offerendo contaminant altaria & deturpant: cum ri-  
tus offerendi talis, divinis Scripturis sit adversus: nec alta-  
ria N. Testamenti sacrificijs (cessantibus, unico C H R I-  
S T I peracto) sed Sacramentis destinata sint.

(2) Reliquias 19. Non abs re fuerit, si & istud notaverimus: vix  
sub iis cōser- ullum olim altare erectum fuisse, sub quo non sancti alicujus  
vando. reliquie conderentur, ut ab illis malorum Spirituum presen-  
tia arceretur. Riber: in cap. 6, Apocal. n. 33, Bayus lib. 3. c.  
29. Instit,



29. Instit. Cat. Adi Gualther: in tab. Chronol. Vide de consec: dist. 1. cap. 26. placuit. Verum hoc totum Pontificiarum reliquiarum genus & Scripturis adversum & incertitudinis plenisimum & absurdissimum: Illud, quia nusquam Scriptura cultus rationem sanctorum reliquiis annexuit. Istud: quia certam quis mihi fidem fecerit, has veras esse reliquias? cum per fraudem & mendacium sapius Monachorum, invehantur ad stupendam multitudinem, ut jam suo seculo Augustinus libro de opere Monachorū, & Gregorius Magnus lib: 3. Epist. ad Constat: Aug: sunt conquesti. Hinc Honorius & Theodosius Imperatores Simoniacum illud reliquiarū commercium peculiaribus averruncare decretis, adacti sunt.

Hoc vero quia non caret ignominia, quod feditas corporis Adde Calvinus nostri (post sepulturam nempe) aliorum pateat conspectibus. num de reliquiis.

Nec fada Ethnicismi κανονιδία, cuius mancipia suorum ossium venerabantur. Sic Lacedaemonij ossa Tisameni, Athenienses Thesei apud Zwinger: Vnde non veremur dicere, quod Baronius & B. Rhenanus Tom. 2. in notis ad Tertullian. de coronā militis fatetur, consultò in gratiam conversarum ex Ethnicismo multa in Ecclesiam introducta esse. Si quis inter ista multa & hunc reliquiarum cultum retulerit, non multum, omnium recte sentientium judicio, à vero aberrabit.

Bellar. lib. 2.  
cap. ult. de Purgat.  
Analys.

20. Olim non erat sic: Etenim colligebantur ossa & cineres Martyrum in sua dormitoria: Deinde iisdem superstructae aera sunt, ad quas confluebat Ecclesia quotannis.

Sanguineos fratrum decantatura triumphos seseq; ad paria martyria animatura (vide argumenta persuatoria, apud Tertul: lib: ad Martyres) unde postmodum nata est cultus superstitionis longè superstitionis. Addo & periculosisima.

21. Nam Gregorius Magnus ait Registri Epistol. 30.

B 3

lib: 3.



Consecratio  
altarium.

lib: 3. intolerabile esse & sacrilegum, sanctorum corpora tangere. Anne ergo intolerabiles censendi Monachi aliqui, annon sacrilegi? Aut non est verum, quod Papa Gregorius scribit: aut reliquiarum nundinatores sunt sacrilegi: aut mihi non satis liquet de mente Gregorij: Addam de reliquiis unum: Eas plerumq; revelatas esse. Ita corpora Gervasy & Protasy, revelata sunt S. Ambrosio, ipso teste, Sigeb: in Chr: Luciano Steph: & Nicodemi &c. Sed quis cordatorum no advertit, Dæmonis astutiæ has apparitiones contigisse. Et hinc ipse Papa, de cons: d. i. c. placet, reprobat altaria, personnia & revelationes patefacta. Nobis cum Christo dixisse sufficiat: Habent Mosen & Prophetas. Luc. 16. Hic insuper miramur nominis divini abusum, in consecratione altarium, Papa frequentatum, qui intincto chrismate pollice, signat cruce, quatuor angulos sepulchri, dicens: Consecretur & sanctificetur hoc sepulchrum in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Pax huic domui: Mirum sanctificandi genus! Summo Martyri, inter alios, Moysi à Deo negatum, nullibi in Scripturis mandatum: Sed ex hoc altarium abusu promanant aliae superstitiones, cùm ita orant Pontificij. Oramus te Domine per merita sanctorum tuorum, quorum reliquiae hinc sunt. Et ut est in Pontificali: Pontifex ita canit cum clericis. Sub altare DEI sedes accepistis: intercedite pro nobis ad Dominum JESUM Christum. Ista Ribera refert in Apoc: 6. cap. Confer Durand: lib. 1. c. 7. n. 1. seq: d. consecrat: dist. 1. c. Altaria.

22. En abusum altarium! Ab hoc quod nos liberasti, optime JESV, ideo tibi & altari & hostia nostræ gratiarum indefinientium ὑπέρσηα persolvimus!

Ad nostram revertimur de altaribus diquisitionem. I-Cornelius à Lapide gitur, quid Johanni in mentem venit Apoc. 6. animas in Apoc. 6. Pa- sub altari clamantes introducenti? R: Bellarminus & ludanus in Vind.  
Ribera



Riberi opinantur se ad Apostolorum tempora cultum reliquiarum referre posse, hujus loci Apoc: presidio freti : Id minimè verum est. Nam recentior est cultus reliquiarum, quod Azor fatetur. Alij hinc exsculpunt animarum somnium, D E V M non videntium, ante extreum diem, ut Vigilanius ( Calvinus videatur peculiari tractatu ) & Græci quidam voluerunt. Ineptit verò Joachim, altare hoc Ecclesiam Romanam interpretans ( ut refert à Lapide in h. l. ) Errat quoq; Cornelius à Lapide, cùm hunc Apocal. locum cum 4. Esdra cap. 4. v. 35. confert inepte, à Sixto Senensi hunc librum rejiciente, satis arietatus : & B. Justinian: in cap. 1. ad. Philip. fol. 241.a.

23. Altaribus libare oscula, est idolatrias se obstrin- Oscula Alta-  
gere crimen. Id sit in ordinario misa à Sacerdote, ut refert  
Misale Rom. p. 177. col. a. Durand: lib. 4.c.9. p. 105. Rati-  
on. Verum ( 1 ) quid est dementia, osculum libare rei ina-  
nimata? ( 2 ) Eodem modo, olim idoli Baalitici manus os-  
culabantur ejus servi. 3. Reg. 19. v. 18. Idem ( 3 ) mos Gen-  
tilium erat. Vide Minutium Felicem in Octavio, Apud Ar-  
nob. Confer Job. 31. v. 27.

24. Inv. T. altaria quæ alibi erecta sunt. Sam. 7.c.16.  
1. Chron. 21.3. Reg. 18. non sine dispensatione extraordina-  
riæ erecta sunt: Ita cùm Tostato, Epis. Abul. in 1. Reg: 7. q.  
7. statuimus. In N. T. sine dubio primitivæ Ecclesia pia fuit Altaria vers⁹  
commonefactio altaria versus Orientem ex ædificantis (Vide Orientem æ-  
Lorin: in cap. 1. Actor: ) difica. Curt

25. Contrarium tamen refert Socrates de Antiochiâ  
Syria, cuius Ecclesia altare non ad Orientem, sed ad Occi-  
denter spectarit, lib. 5. cap. 22. Vnde ( si vera est Socratis  
narratio ) colligimus, ritum vertendi sese inter orandum  
versus Orientem, aut ex traditione Apostolicâ non manasse, <sup>11</sup>  
aut hanc Ecclesiam, longe celeberrimam Apostolicam, <sup>11</sup>



non observasse ritum Apostolicum: cum Beat. Chemnit.  
Quis institu- 26. Referunt Bonifacium III. primò instituisse, ut  
erit, ut linteis linteis pannis altaria sternerentur. Polyd. Virgil. lib. 5. c. 6.  
pānis sterne- p. 333. Id si fiat, citra superstitionem, non improbamus, sed  
rentur aræ? cum Ecclesia Veteri frequentamus, que ipsa mundo panno a-  
ras, sub S. Canam, insternebat. Bullinger. de Orig: Error:  
cap. 6. fol. 109. a. ita scribit: Veterum aræ caruerunt omni  
ornatu externo. Tempore cænæ mundo aliquo panno  
sternebantur.

27. Quomodo altaria damnaverint Manichæi? ut  
August. lib. 20. contra Faustum cap. 4. & 21. commemorat,  
quæri assolet. Dicendum videtur statuendum qz.

(1) quia maximoperè à doctrina Ecclesia abhorreabant.  
Vnde etiam fastidiebant aras. Ita de Lucio & ejus asseclis  
memorat Greg: Nazianz: Orat. 33. in laudem Hieronim,  
eos aras DE I conspurcasse. fol. 548. D. (2) quia putabant,  
in Electis suis tantum ritè purgari substantiam DE I ma-  
lam, quæ sit in escis vel alimentis commixta. August: cap.  
46. de heresib. idè ab altaribus, in quibus vinum & panis  
proponebatur, abstinebant. (3) quia vinum non bibeant,  
sed hoc esse fel principum tenebrarum perhibebant. August:  
al. (4) Christum negabant esse verum hominem, sed simula-  
cium, ejusqz corpus in stellis ligatum esse. Vide Danaum fol.  
970. l. 2. in Augustin. Non ergo mirum, si & altaria & cor-  
poris Christi mandationem negaverint: His alijsqz de cau-  
sis abominatos fuisse altaria Manichæos, mihi non est dubi-  
um, alij si est, per me licet.

Relatio sacri- 28. An altarium & sacrificiorum in N. T. perpetua  
ficii & altaris sit relatio? Affirmat Job. Volckel: lib. 4. c. 12. p. 304. Syn-  
quaæ? tag: de verâ Rel. Zepper: p. 317. de legibus. Musculus fol.  
318. Loc. comm: Nahum p. 24. assert: & Bellar: passim, in-  
de probans Missæ sacrificium, nos ita procedimus.

Ara



29. Ara & mensa longè alio usu spectant ad Levi- Altaria. V. & tismum V. T. quām quo in N. Testamento usurpantur. Nam N. T. differūt ut illarum erat ad sacrificia relatio, sic harum ad panes pro-materiā, for-positionis, & alia: Ut ergo mensa non abolenda: Ita nec ob mā, fine. hanc rationem arae ipsæ.

Adde, ararum longè aliam fuisse formam, quām quæ est hodiē, ubi nullū altare comburendis victimis aptū, nec craticula instructū est. Vide Torniell. in Annal. Addo & istud: nec materiam nostrorum altarium convenire materia V. T. Nam hæc siebant vel è terrâ vel ceriè è lapidibus im-politis. Exod. 20. 24. 1. Macc. 4. v. 43. Nostra sunt è late-ribus, coctis lapidibus, è quibus non licebat facere altaria in V. T. Vide Esai 65. v: 3. Hieronym: in h. l. & Bulling: Igitur cum nec materiā, nec formā, nec fine nostra altaria cum V. T. altaribus convenient, nullo modo illa è N. ad V. T. re-leganda sunt, quod hactenus altarium hostes non observā-runt.

30. Hinc in primitivā Ecclesiā altare erat mensa li- In primitiva gnea & mobilis ob persecutiones: postea lapidea & stataria Ecclesia qua-facta est, fatente Lamberto Daneo lib. s. de Sacram: cap. lia altaria?

44. (ex Theodor: lib: 3. c. 12. Herm: lib: 5. c. 20. Ambros: lib: s. de Sacram. c. 1.) Et hinc accedit, ut in scriptura no-men mensa & altaris pro Synonymis habeantur Malach. 1. v. 7. Es. 65. 11. Prov. 9. 2. Quod contra Bucan: loc: 48. q. Bucan.

I. n. 4. notandum, qui mensas istas ab altaribus differre putat, ex loco Act. 6. v. 2. ubi tamen nomine mensarum non Sacra-menta, sed pauperum aleedorum cura, cui Apostoli va-care non poterant, intelligitur, ut recte Calvinus, Bulling: Beza & alijs notant. Nos unā voce & litera liberaq; mente, Totum genus hoc liberum est, cum Augustino dicimus: docemus, & altaria, ut libera, retinemus, Ceterū:

31. Num altaria Papalibus quondam sacra super- Non diruen-stitio- da altaria.



stitutionibus demolienda vel abroganda? Magnæ questio-  
nis res est.

N. contra Zepper. lib: 4. cap. 7. pag. 316. 317. de legib.  
lib: 4. c. 11. de Sacram: Nahum p. 321. in Postillis: eundem  
in assert: Testam. p. 22. Vrsin. Tom: 2. Oper. fol. 45. a. b.  
Herborn: im Berichte von den Ceremonien. p. 120. seq:  
Embdens: im Histor: Bericht p. 5. 6. Salomon Stincken  
in seinem andern Sacramentspiegel p. 55. quibus conci-  
nit Samosatenianus Joh. Volkelius lib. 4. c. 22. de V. R. p.  
304. Nos typicum altare in N. T. non agnoscimus. Hac ergo  
distinctione opus non erat Vrsino Tom. 2. Oper D. Chy-  
trai, nec alijs. Nec præcisè necessitatem altarium urge-  
mus, nec peculiarem altaribus sanctitatem adscribimus,  
nos libertate Christianâ nixi exemplo Paulinos erigimus,  
non jubentis aram ignoto Deo consecratam dirui Acto-  
r. 17. Utentis nave, Castoris & Pollucis insignibus ornata A-  
ctor. 28. v. 11. (ex quibus nihil, ipso Calvino in h. l. judi-  
ce, inquinamenti Paulus contraxit) Israëlitarum, qui  
non demoliti sunt aram Jos. 22. 26. cum de doctrina consen-  
su constaret. Quid? quod ea sit conscientia ratio, qua cum  
munda est, nihil ei est immundum. Mundis omnia sunt  
munda Tit. 1. Rom. 14. Adde quod & Creatura in se bone:  
etiam si ipsi abusi homines: prætereaq; si rigorose altarium  
urgeas demolitionem: sequeretur, & templa esse ipsa abo-  
lenda, quod etsi Beza in tantum fieri exoptet Resp. 2. ad  
Colloq. Monpelgart. pag. 39. tamen id Christus non ostendit  
debere fieri, Templum Hierosolymitanum ingrediens.  
Sed nec Massases, nec Macchabaeus diruentes aras, simul  
templa diruerunt, quod Nahum p. 28. assert. fatetur, probat  
zepperus d. l.

32. Lubrica est ratio: Organa Satanæ sunt tollen-  
da. Rz. Nulla ferè est Creatura, que non hominum culpā &  
Satha-



Sathanæ fiat organon malitiae. Ergone removendæ ? àto  
προν. In V.T. Exod. 34. 13. Deut. 12. v. 3. & alibi subverti  
præcepit DEUS aras Gentium. Sed id alienum est. (1)  
quia DEVS unum habebat altare Hierosolymis. Vnde V-  
fias Sacerdos aliud extruendo peccavit 1. Reg. 15. Si lex  
Deut. 12. præcise urgeatur, ipsæ quoq; sylva quondam desti-  
nata Idololatricis cultibus abolenda forent ex v. 3. Igitur  
in Deut. d. l. lex quadam specialis solum Israëlis populum  
concernens, tradita fuisse, ex v. 1. merito liquidoq; colligi-  
tur, quod quadam tenus 1. Wolphius in h. l. agnoscit.

33. Sunt, qui existiment, altum esse apud patres al-  
tarium silentium. Verum enim verò Patres ararum pas-  
sim mentionem injecerunt : Optatus Milevitanus lib. 6.  
contra Parm: circa ann. Christi 365. Tertull. lib. de pænit:  
(Qanquam dubitent quidam, esse Tertulliani: tamen vetu-  
ssi est autoris) Origenes hom. 10. in Ioh. Tom. 1. Oper. Al-  
tarium sit mentio, cum sacrificium Missa nondum esset in  
usu Can. Apost. 3. 4. Tertull. lib. de pænit: Cyprian: lib. 1. epist.  
9. Euseb: lib. 1. cap. 6. demonst: Evang: Ambros. lib 5. e-  
pist. 33. Opt. Milevit. lib. 6. Georg: Nazianz. Orat: in Gor-  
giam. Chrys: hom. 53. ad populum & hom. 20 in post. ad  
Corinth: Hieronym. lib. contra Vigilant. Aug. lib. 8. cap.  
ult. de civit. D E I. G. Nazian. Orat, XXX. fol. 509. in lau-  
des Basili: & alij quos tamen ideo castigat. Martyr fol. 707.  
Loc. Com. §. 21. cap. 12. class. 4. Quicquid sit, sine peccato,  
cum libertate, ad exemplum primæ Ecclesiæ, aris utimur.

34. Verbum de excitandis altaribus, quod nos In Adiapho-  
petit Martyr, part. 3. Gardiner. fol. 521. non proferemus, ris nō requi-  
quia de Adiaphoris ( qualia & sunt altaria ) non est opus ritur exéplū  
proferre verbum. Igitur libertatem nostram tuemur, ad-Christi, nec  
versum eos, qui istam in dubium vocant, magno magni Lu-Apostolorū.  
theri exemplo, commonefatli, ne pilum quidem sedere vo-  
lentis



lentis superstitionibus Pontificiorum ( quem ideo merito commendat B. Aretius loco 83. fol. 267. ) necessitatem in ejusmodi liberis singentibus. Quin etiam, et si primitiva Ecclesia ob persecutiones ad tempus caruit altaribus : tamen hoc nihil prescribit libertati Ecclesiae, quæ potest, ubi diruta sunt, ex zelo secundum ignorantiam altaria, eadem readificare & suum jus, libertatemq; suam defensitare.

35. Ceterum ne te incertet nostræ sententia veritas. Nam Antagonistarum insuper, sapientiores, posse altaria retinere, fatentur. (Vide quanta insit vis VERITATI!).

(1) Altaria olim non fuisse ad usum Missaticum adhibita. Theologi Anhaldini p. 78. anno 1598. in Endlicher Ablehnung wieder die Wittenberger. Verba eorum hæc sunt. Da die Altar ihren anfang bekommen / sind sie tagonistarū. mehren heil beweglich ( gewest ) das man sie von einem Ort zum andern hat tragen können: Jedoch zum theil auch unbeweglich/erstlich von Holz/ darnach von steinen ( weil die Heyden Pagani genandt / die Donatisten vnd Arianer den Orthodoxis ihre hölzerne Tisch oft pflegen vmb zustossen ) waren sie zu keinem Überglauen / oder Gohendienst/ sondern allein zur außpendung des H. Abendmahlz verordnet. Hec Anhaltini. Eadem habet Nahum p. 25. in assert. Testamenti. Nos vero eadem mente, fine, scopo, libertatis jure, quo Ecclesia ante Papatum aris usus est, eisdem utimur.

(2) Fuisse ante Papatum altaria : Nam tempore Constantij: M. fuisse jam extorta, non diffitetur Hospin. lib. 2.c. 6. p. 98. de templis. Etiam ante Constantinum fatente Hospin. p. 99. d. Non nego habuisse &c. & pag. 100. Beza respon. 2. ad acta coll. p. 40. Lapideas aras nonnullis &c. In col. Mompel. p: 409. Consentimus, p. 424. Qnod ad alt: p. 425. Iodocus Naum Pastor Sigenensis in assertione Testimenti edita Sigenæ 1596. p. 17,

(3)



(3) Nolunt damnare, Hospius: lib: 2. c. 6. p. 100. de tem-  
plis. Bulling: de origine errorum circa cænam. cap. 6. fol. 109.  
a. ita inquit:

Huc pertinet consideratio altariū. Apostolica secula mensis positis cænabāt, ignorabāt aras fixas & lapide ex- tructas. Nam portatilis mensa magis quadrat exemplo Christi: statæ verò aræ magis idoneæ sunt pecudibus maestandis sovendisq; ignibus: In quem finem aræ, tam apud Judæos quam apud gentes è lapide construeban- tur, vel è tabulis ære coniectis aut terræ interius opple- tis. Quanquam damnari non queant aræ fixæ; si cænæ modò Domini serviant. Et prisci mensas suas appella- vère altaria, haud dubie ad imitationem Patrum veteris Testamenti. Ista Bullinger. quem laudamus innocentiae te- stem, cum dicat. *NON QV E V N T D A M N A R I A- RÆ F I X A E*, si cæna inserviant. Nobis ita serviant, id- olatriæ minime serviant. Igitur confecta res est; confectum pro nostra sententia est negotium.

Objic: Minutius Felix non meminit altarium, qui vixit seculo tertio. Respon. Ob persecutiones fieri potuit, tunc non habuisse aras: attamen Cyprianus τύρχεον Mi- nutij meminit eundem ararum. Dein sufficit, apud unum vel alterum extare altarium indicia, nempe Tertull. Cypri- an. quorum illi Minutius fuit aequalis, si Bellarmino credi- mus Tom. 7. Oper. ad ann. 206. A testimonio negativo (pre- cisè & rigorose) humano ad rem ipsam negandam, negamus Consequentiam.

His ita expeditus, expedita est vera intelligentia senten- tiae, de libertate altarium: præpeditaq; omnis judicandi, sugillandi, protervia, quā cum SOLVM pugnamus non cum MODESTIA eorum, qui libertatem non invident, sed & cum suo calculo probant. Ista ergo missimus.

Calvini disci-  
puli admitūt  
altaria.



Altaria non      36. An in altaribus servetur, extra communionem  
sunt custodi- Christi corpus? Ita docet Alphonsus à Castro lib. 6. heres-  
q; Eucharistie. 12. fol. 189. a. b. cuius rationes facilè profigalimus in consti-  
tu.

Addo hinc lepidam historiam, doctrina transubstan-  
tiationis istius Pontificiae admodum adversam. Eam refert  
Æneas Sylvius (postea Pius II. dictus) lib. 1. num. 39. de  
dictis & factis Alphonsi Regis. Verba Sylvij ista sunt:

Alphoni Re-Sermonem habuit coram Alphonso, in cæna Domini,  
gis historia i; Antonius quidam Siculus, ordinem D. Dominici pro-  
fessus: five facto, gloriabundus sese Regi obtulit, &  
το. quasi parum ex pulpito gannivisset, novas de Sacra-  
mento Altaris quæstiunculas introduxit. Cui Rex. Obse-  
cro (inguit) Rabbi. Vas aureum aperuit quispiam, in  
quo ante mensam Eucharistiam condiderat, nihil ibi  
præter vermiculum reperit, ex auro, quod purissimum  
mundissimumq; fuit, & undiq; clausum, non potuit  
vermis nasci: neq; ex accidentibus, quæ illic absq; sub-  
jecto aderant. Ergo ex Christi corpore productus ver-  
mis, & ex substantia D E I, quid aliud quam D E U S pro-  
deat? Vermis igitur D E U S, quid tu ad hæc? OBTICU-  
IT Monachus. Nos, qui eramus in corona, Theologi-  
cas à Rege Scholas haud frustra visitatas esse cognovi-  
mus. Ista Æneas Sylvius, ista Papa: την μετεστασιν arietan-  
tia. O beatas Respabl: quarum etiam Dii theologizant non-  
nunquam, magno hujus Regis exemplo, maximo Reip. fructu-

. 37. Sed quid de ara ignoti D E I sentiendum? di-  
spiciamus. Ejus fit mentio Actor. 17. cùm Paulus Athenas  
venisset, Epicureos & Stoicos Philosophos egregie refutavit.  
istâ quidem arâ visâ. ut recte tradit Epiphanius lib. 1. Tom. 3.  
fol. 106. Hæres: & prolixè commemorat T. Beza in h.l. Actor:  
ex Diogen: Laert: Videatur uterq;: Licet Oecumenius aliam  
causam afferat, nempe Atheniensium legatos spectro Panis  
moni-



monitos, quod alios Deos negligerent: ideoq; ignoto, qui Ara ignot  
cung<sup>z</sup> demum foret. DEO hanc aram dicasse. Alii ignotum DEI quæ?  
DEV M exponunt, Christum crucifixum fuisse. Hugo Ly-  
ra. Sanchez; sed id remotius est.

38. Si queras, cur D E V S vocetur ignotus? Re-  
spond. (1) quia simulachra coluerunt Athenienses: & per  
hac DEV M. (2) quia vocarant ita ignotum. (3) quia in  
cognitione suapte culpâ aberrabant. (4) quia ubi promiscuo  
Religionis cultu D E V S afficitur, verus D E V S ignora-  
tur, veri D E I tandem cultus oblitteratur.

39. Inter hos referre possumus, qui altaria in hono- Altaria an in  
rem Sanctorum edificant: Omnipotens id magno cum peccato honoré San-  
conunctum est, putâ Idolatriâ, cùm nempe Sancti alicu-ctorū struen-  
jus osa sub altari recondunt, & eundem Patronum constitu-  
da?

40. istius Basiliæ, sive ædis, ut scribit Jacob Bayus lib. 3. cap.

30. institut: catech: Durand. lib. 1. cap. 7. n. 24. p. 35. ( non  
secus ac olim Gentiles loca certa suis sacrabant Diis: Epi-  
daurum urbem Peloponæsi Æsculapio. Parnassum montem  
Apollini &c. vide Ravisi. p: 60. officina).

40. Veteres quidem Oratoria extruebant tales Basili-  
cas & memorias Sanctorum frequentabant: Vide August:  
lib. 22. cap. 10. sed Patronos aut Mediatores non faciebant,  
non autores beneficiorum. Quod eti<sup>m</sup> Bellarminus lib: 1. c.  
17. de Beatitudine sanctor. propos. 1. videatur fateri: ipsa  
tamen praxis contradicit.

41. Nam diu<sup>e</sup> virginis Hallensi Lipsij laudibus ornata i Maria Dea..  
sta attribuit: DEV M quod sibi divinitatis & omnipoten-  
tiæ ( N. B. ) jure proprium est, non modo Deipara & sanctis;  
verum etiam quod mirabilius est, eorum imaginibus com-  
municare dignatum esse, ut scribit B. Lyd. Tom. 1. p. 127.  
Waldens:

42. Benè se habet: Si Maria, si Sancti hanc cum Deo



poteſtatem habent communem, alterutrum conficitur : vel  
invocandoſ eſſe, ut beneficiorum autores, sanctos : vel eos-  
dem benefaciendi propenſione nobis deeſſe.

Peregrinati- 43. Peregrinationes ad ejusmodi aras, reliquiarum,  
ones ad aras. thecas, ſuceptaſ ſpe venie impetranda & meriti & ſatisfac-  
tionis Scriptura & exemplis minimè roborantur, etiā adverſi pro-  
lixe de his commententur. Bayus lib. 3. c. 31. iſtitut. Bellarm:  
Bover: alij.

44. Quid verò mentis Hieronymo fuit (ſi perſtaſen-  
tentia Pontificiorum de Peregrin: ) qui Paulinum Mona-  
chum à peregrinationibus dehortatur? Sed hic fingunt  
diſtinctionem. Eſſe quidem laudabiles peregrinationes, non  
tantum ad perfectionem aut ſalutem neceſſarias, neq; omni-  
bus personis expedientes. D. Bayus. d. l. Scilicet alia Mona-  
chorum, alia Laicorum media, via alia aliaq;, pro ſtatu per-  
ſonarum variæ. Nos unam ſalutis potiundæ viam, D E O  
docente credimus, D E O ducente ibimus.

Epilogus. 45. Quis ſenſus? Peccata Iſraëli in cornibus altari-  
um eſſe ſcripta? Jerem. 17. v. 1. Breviter pro Sylloge no-  
ſtræ Epilogo, dicti Prophetici videamus ſenſum, qui patet  
ex seq: (1) Cornua ararum erant earundem extrema par-  
tes, que viettimarum ſanguine redundabant, eo asperfa. Exo.  
29. 12. Levit. 4. 7. 18 (2) Cūm verò multa altaria extruerent  
Iſraëli (cūm tamen unum ſaltem altare DEVS fieri pre-  
cepisſet) inq; ijs ſimulachris Gentium hofſias libarent publico  
ſcandalο & omnium piorum inexplicabili gemitu: hinc (3)  
tantiflagitiū turpitudo publicè nota eſſe ſcribitur, ac ſi illa  
totidem verbis deſcripta, omniumq; oculis & judicijs ſacrile-  
gij hujus, ut bene Hieronym. in h. l. exposita fuifet. (4)  
Alij obſervant Idolorum nomina Altaribus inſcribere ſoli-  
tos fuiffe cultores. Igitur & Deaſtrorum ſuorum nomina I-  
ſraëli & quoq; (ut Actoſ. 17.) ſuis aris inſcripſiſe dicendi e-  
rant,



runt, quod hoc loco taxat Hieremias. Ita igitur externe idolatriæ publica erant monumenta: quæ si inter Christianos desint; studio enitendum est maximo, ne cor & conscientia alii sit idolatriæ interna ara, in quâ cujuslibet peccata consignantur. Itaq; sic vacandum Scientiæ, (cui aliquot problemata dicavimus, per præcedentes theses,) ut Pietatem & conscientiam non negligamus, cujus informande ergo

46. Non abs re fecerimus, si sequentia notaverimus porismata vel aphorismos, ad praxin pertinentes.

1. Didascalica. (1) in cultu D E I nihil fingendum (ex humano ingenio & ausu) qui primus aras erigi iussit.

(2) Diaboli fraus, qui decipit homines sub prætextu Religionis: Hinc aræ Gentilium: Savitria hominibus r̄ns ἀνθεωποθυσias instillantis: καροζηλία D E V M imitantis & sub specie quadam veri, homines circumvenientis. è thes: II. seq: 15.

47. (3) In factis Sanctorum multa sunt extraordina-  
ria. è thes. 6. (4) Magna N.T. felicitas, ubi ipsum altare Christus est è. thes. 9. (5) Potest D E V S removere altare, ubi spretum jacet & neglectum è thes. 10. (6) Bona intentio bonum opus non facit è thes. 16. (7) Crevit de seculo in seculum supersticio è thes. 20. 21. (8) Apparitiones Spirituum sunt fallacia Diabolorum è thes. 21. (9) Magna divini nominis est profanatio, si eo ad consecrandas res quasvis sine verbo utamur. è thes. 21. (10) Alius est Ecclesia & rerum in ea status sub. N. T. quam qui sub Veteri fuit è. thes. 29. (11) Transsubstantiatio nulla est, si Alphonso, si Sylvio credimus, è thes. 36. (12) quam ingens est cognitionis divina thesaurus! è thes. 37. (13) Sancti honorandi, non invocandi è thes. 39. eorum laudes nimia, gloria D E I sunt inimicæ. ibid.

48. 2. Hortatoria. (1) Magna fides Abrahami,  
Filium



Filium in arâ mactaturi è thes. 13. (2) Probanti D E O  
obtemperand. Non est gravior D E O victimâ, quâm cor si-  
dele. (3) Magna in Isaacco obedientia. (4) Immiseri-  
cordia Parentibus fugienda, è thes. 16. (5) Gratias aga-  
mus D E O, qui nos eripuit de potestate tenebrarum. è thes:  
22. (6) Osculum spirituale fidei nostrâ libemus altari,  
I E S V Christo. Cantic. 1. v. 1. (7) Pro liberitate suâ Ec-  
clesia suorumq; est pugnandum. è thes: 31. (8) Si Christus  
est unicum altare nostrum Heb. 13. 10. ergo offeramus ei ho-  
ustum patientiæ, ex Philip. 1. c. v. 29. Epist. Apostolis Act. 5.  
41. laudis Ps. 50. 23. Osea. 14. 2. beneficentia in pauperes.  
Matth. 25. Laudabile hoc est sacrificium, si cor tuum est ho-  
locaustum, quod totum ardeat, & in quo semper ardeat ignis  
charitatis. Levit. 6. Cantic. 8° quiq; veterum Adamum ex-  
tinguat.

49. 3. Correctoria. Nulla est tam tetra religio, qua  
non sibi suos impetrat asseclos, è thes. 14. 15.

Superstitionis tam efficax est venenum, ut omnia in ho-  
mine extinguat, è thes. 16.

Qui contra nostra altaria disputant Calviniani, contra  
libertatem, contra veritatem, contra Doctorum suorum di-  
sputant gravitatem. è thes. 35.

Frustrè peregrinatur corpus, ubi à D E O animus pere-  
grinatur. Adeum non accidis per lacum, sed per gemitum.

Caveamus ad altare nostrum ascendere per gradus;  
Ita in V. Testamento præceperat. Istud vero fit, cum divinas  
res irreverenter tractamus, aut cum superbiâ, vel indecentiâ  
gestu. D. Rung: in cap: XX. Exodi. v. ult: & J. Brentius.

50. 4. Consolatoria. (1) De aris, deq; rebus: ad eas spe-  
ciantibus semper inde ab iniiso Ecclesie magna fuerunt lites:  
Nostras non miremur. Hoc litium juge exercitium nostrum  
sit



fit solarium. (2) Maximo est solatio animabus nostris,  
Christum esse spirituale nostrum altare, cuius gratia De-  
um accedere possumus. cuiusvis. Lignum est imprutibile, san-  
ctissima Christi humanitas. 2. Aurum, aliussima & λόγος  
**DEITAS:** 3. Artifex, virtus altissimi. O altare pretio-  
sissimum! 4. Dolatum & præparatum per varias cruces  
& persecutions, quarum Christus erat resertissimus. 5.  
Compactum per crucis dolores. 6. Statuminatum in  
corde Patris altissimi, qui suo hoc altari nobis amorem si-  
gnat, & filij proprij sanguine eum depingit. 7. Depresum  
in terram, pondere iniquitatum nostrarum, Esai. 53. 8.  
Gravatum ingenti earundem sarcinâ. Benè lotum &  
sanguine proprio conspersum, septem vicibus, putâ, in cir-  
cumcisione, sanguineo passionis sudore, in flagellatione, in co-  
ronatione, in manuum perforatione, in pedum transfixione, in  
lateris apertione. 9. Resolutum per mortem Ps. 16. 10.  
Reædificatum per gloriosam resurrectionem Joh. 2. 11.  
Sublimatum in gloriam, cum cælos ascendens, ad dexteram  
omnipotentis sessum iret Christus. 12. Thusadolens suæ in-  
nocentia, DEO patri, cum pro nobis intercedit Rom. 8. 13.  
Non Levitas tantum, sed & omnes fideles admittens. O altare  
gratiosissimum! 14. Cujus victima aut ignis nunquam ex-  
tinguetur, coram Deo: Sed et ne unquam hoc spiritualium  
hostiarum altare, JESVS CHRISTVS, salvificâ  
cognitione sui in nostro ORBE,

VRBE,

CHORO,

FORO,

CORDIBVS extinguatur, e-  
undem Jesum Christum, intimis cordium nostrorum gemi-  
tibus deveneramus: AMEN!

D

Corol-



## Corollaria.

1. Si damnare recedentes à fidei consonantiâ, est charitatem violare; Christus, prophetæ, Apostoli, charitatem violarunt; omnesq; violent, qui τὴν ἐπεροδόξιαν δῶνται. Contra anonymum, in *delmeatione* brevi fidei Christianæ Eleutheropoli excusâ. anno 1632.
2. Non probamus Heraclij editum, cuius hæc summa: *NE QVISQVAM confiteretur vel VNAM, vel DVAS in CHRISTO voluntates*, ut refert Cedren: in Anna-lib: Non n. in fidei causis ita licet επέχειν.
3. De Sacerdotum conjugio disputatum olim multis, multis hodie disputatur. Affirmativa hujus problematis placet Aeneæ Sylvio, postea Pio II. dicto, Romanæ Ecclesiæ Pontifici, lib. 2. de Gestis concilij Basileens: fol. 59. edit. Basiliens: & Coloniens: in Fasciculo rerum expetend: fol: 25. col. b. lit. E. F. & J. Baptista Mantuan: in Fastis, multisq; alijs.
4. Christophori Ostorodi *iniquissima* est censura, ritum genuflexionis ad nomen JESV factæ, SUPERSTITIONEM, SUPERSTITIOSUMq; usum vocantis, cap. 19. num. 14 pag. 129. Instit: vernacul: Racov: 1625. apud Sternatzky edit: Diximus iniquissimam hanc censuram, sive Ostorodi, sive complicum ejusdem, simplicitati nostræ, piæ, devotæ,



votæ, objectantium mentis intentæ signum.  
5. Hæretici, qui hodie de pietate multa deblat-  
terant, ut scientiam Christi salvificam tollant,  
non intelligunt illud Christi : *HÆC faci-  
enda : nec illa omittenda : Sed vestem ovillam  
ostendunt, ut lupinam tegant.* M A N E  
N O B I S C U M D O M I N E, Q U O N I A M A D-  
V E S P E R A S C I T !

---

### Ad Dn. Respondentem.

**N**os absterreri si perpetremur ab Aris,  
Baptisteria gens vellet avara sequi.  
Baptisteria si sacrâ turbaret ab ade,  
E Sacramentis vellet abesse Deum.  
E Sacramentis si Numen abire juberet,  
Quid Sacramentis posset inesse sacri?  
Ergo defenses Aras, ne postea tentent  
E Sacris Numen precipitare suis.

Amicè hæc paucula addere volebat

Georgius Nicolaus Erasmus,  
Ohrdruvio-Tyrigeta.

### ALIUD.

**V**i bonus esse cupid miles, multum studet armis:  
At sacris, qui vult vir sacer esse, studet.  
Ergo, quæis, HENRICE, studes, fac; perge tueri  
Templi sacra: hinc te fructus honoris manet.

Iohannes Mollerus Leor:Siles.



*Ad Ornatissimum Dn. Respondentem.*

**N**E metuas, HENRICE, pium certamen inire  
His cum, queis aras destruere est volupe;  
Sed propugnator thesum impiger esto tuarū,  
Causæ confidens in bonitate tuæ:  
Pars adversa illas licet impugnare laboret,  
Responsis tendens retia mille tuis;  
Te tamen his laqueis non irretire valebit,  
Ipse, DEO, sed Tu, PRÆSIDE, victor eris.

*benevolentia testificande gratia  
facieb.*

*Christophorus Cato  
Leorino-Silesius.*

ALIUD.

**A**RÆ sanctæ usum perdocte Henrice revolvis,  
Est ARÆ famulus nam pater ipse tuus.  
Res ideo ARARUM sacras si discere pergas,  
Servo ARÆ forsan tu patre major eris.  
Ascendas igitur pro ARA sacra pulpita, donec  
ARÆ recta sacræ ad te vehat alta Deus.  
Hos voti meritos ARÆ tibi defero honores:  
ARARUM Deus has audiat aure preces.

*Humanissimo nec non Doctissimo Dn. Resp.  
amico & populari dilecto. l. scrib.*

*Johannes Bremerus  
Lubecensis.*

FINIS.



617.

i

m-

22.





In sancto nomine JESU!

ΣΧΟΛΙΟΝ:

Sive  
POSITIONES,

DE ARIS  
VEL ALTARIBVS,  
SCHOLASTICÆ:

quas divinâ præeunte  
LVCE & DVCE,

